

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

**Parisiis, 1644**

Concilivm Toletanvm Avctoritate Aegidii Toletani archiepiscopi, ad  
reformandos mores ecclesiae celebratum anno Domini MCCCXXXIX.  
tempore Benedicti papae XI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15653**

BENEDICTVS TOLETANVM. LUDOVICVS BAVARVS IMP.  
P. XI. ALPHONSVS XI. R. CASTELLÆ. 121

aperte illis ostendentem ; quodque sic videntes , eadem diuina essentia perfruuntur : nec non quod tali visione & fruitione eorum animæ qui iam deceserunt , sunt veræ beatæ & habent vitam æternam & requiem.

ANNO  
CHRISTI  
1339.

CONCILIVM TOLETANVM  
AVCTORITATE ÆGIDI TOLETANI  
archiepiscopi , ad reformandos mores ecclesiæ cele-  
bratum anno Domini MCCCXXXIX. tempore Bene-  
dicti papæ XI.

TITVL LI CAPITVLORVM.

- |  |  |
|--|--|
| I. <i>De non alienando ecclesiæ do-</i>    | <i>ad studia theologie &amp; iuris ca-</i> |
| <i>minio.</i>                              | <i>nonici accedere compellatur.</i>        |
| II. <i>Vt nullus , nisi literatus , ad</i> | IV. <i>De procuratoribus episcopo-</i>     |
| <i>clericatum promoueatur.</i>             | <i>rum ad Concilium mittendis.</i>         |
| III. <i>Vt ex qualibet cathedrali vel</i>  | V. <i>Vt rectores ecclesiæ nomina</i>      |
| <i>collegiata ecclesia sicutem unus</i>    | <i>suorum parochianorum annua-</i>         |
| <i>ex decem clericis assumatur , qui</i>   | <i>tim in scriptis redigant.</i>           |

P R A E F A T I O.

*Aegidius miseratione diuina archiepiscopus Toletanus , Hispania-  
rum primas & regni Castellæ cancellarius , venerabilibus in Chri-  
sto fratribus Dei gratia episcopis , suffraganeis nostris , & aliis ci-  
uitatis & diœcesis ac prouinciae Toletanae prælatis , ac eorum  
capitulis , salutem in Christo salutis auctore.*

OFFICII nostri debitum exposcit , vt solicitudinis stu-  
dium , & indefessas operationes , prout possibilitati  
nostræ permittitur , adhibeamus , ac cautela nostra custo-  
diat , ne in his quæ venerabilium sunt ecclesiæ , ali-  
quid inuastabile inualescat , quod quietem impedit ea-  
rumdem : vtque sint in ecclesia Dei viri literati , qui iura  
ipsius tueantur , & in eorum nitore Altissimus delegetur ,  
ad cuius laudem & gloriam , & felicem statum ac reuelationem  
ecclesiæ , quæ ad præmissa pertinent , salubri-  
ter ordinentur . Igitur ad editarum constitutionum obser-  
uationem potius quam ad earum multiplicationem sum-  
mopere intendentes , præsentibus venerabilibus in Chri-  
sto fratribus nostris Petro Segobiensi , fratre Alphonso Se-  
Concil. Tom. 29.

Q

guntinensi & Ioanne Giennensi , episcopis suffraganeis nostris,& Palentinensis,Oxomensis,Cordubensis & Conchensis episcoporum & cathedralium ecclesiarum prouinciae Toletanae procuratoribus in Concilio congregatis , has edidimus constitutiones , quas iubemus in Syndicis in nostra prouincia proxime celebrandis publicari & inuiolabiliter obseruari.

## C A P I T V L A.

### I.

Dispendia ecclesiarum , tamquam nostris molestis visceribus , inferunt nobis doloris acerbi punctiones : nec illa dissimulare possumus , cum ea conspicimus & sentimus . Proinde quia experientia docente vassallos ecclesiarum nouimus enormibus collidi iacturis , & ecclesias ipsas in suis iuribus defraudari , cum in ipsarum ecclesiarum locis per eos qui non sunt ecclesiæ vassalli , possessiones acquiri contingat , vestigiis prædecessorum nostrorum archiepiscoporum Toletanorum inhærentes , sacro approbante Concilio , statuimus ne quiuis , cuiuscumque status aut conditionis existat , possessiones in locis , in quibus ecclesia dominium obtinet temporale , consistentes , eis qui eiusdem ecclesiæ vassalli tunc non sint , vendere , aut quoquis alio titulo in eos transferre præsumat : alioquin tam vendentes , aut alias transferentes , quam ementes , & alias ipsas possessiones recipientes , excommunicationis sententiæ ipso facto volumus subiacere , & venditiones , & emptiones , & alienationes ipsas cassamus , & cassas & irritas nuntiamus , ac decernimus nullius prorsus existere firmitatis , & nihilo minus possessiones sic alienatae ipso facto loci domino applicentur . Per

ANNO CHRISTI  
1339. hanc tamen constitutionem non intendimus prohibere, quin personæ canonici & alii cathedralium & collegiatarum ecclesiarum, quarum dominium est temporale, beneficiati ac clerici in locis ipsis ecclesiæ commorantes, possint possessiones ipsas emere, & quoquis alio titulo acquirere, easque ecclesiis cathedralibus, collegiatis & parochialibus suæ dicēcesis, aut vassallis ecclesiæ tantum in vita vendere, & in morte donare, relinquere, seu legare. Absolutio excommunicationis huiusmodi cōstitutionis, post satisfactionem condignam huius constitutionis, cuilibet episcopo in sua dicēcesi sit commissa.

II.

Quia in constitutione recolendæ memoriæ domini fratris Guillelmi quondam episcopi Sabinensis in Castellæ & Legionensibus partibus apostolicæ sedis legati, quæ incipit, *Cum in personis*, continetur quod in personis ecclesiasticis ad sacros ordines & beneficia curam animarum habentia promouendis, idoneitas maior requiritur, & amplior desideratur peritia literarum; sitque ibi salubriter statutum, quod nullus clericus ad sacros ordines promoueat, nisi saltem literaliter sciat loqui: pari ratione sacro approbante Concilio statuimus, quod quam diu inueniatur, quod clericus qui literate sciat loqui, vel promotus ad sacerdotium, qui possit & velit in beneficio, cui cura imminet animarum, institui, episcopis dispensandi, ut is promoueat ad sacros ordines & ad beneficium cum cura, qui literaliter nescit loqui, & illud eidem conferendi facultas, præterquam circa beneficiatos in ecclesiis cathedrali-

Concil. Tom. 29.

Q. ii

libus & collegiatis, sit penitus interdicta. Quod si secus factum fuerit, sit irritum & inane. Insuper volumus, & districte præcipiendo mandamus, quod quilibet episcopus quotiescumque ordines habeat celebrare, \* tunc omnia promouendis coram se vocatis constitutionem dicti domini legati, quæ incipit, *Detestandam prælatorum auaritiam*, in Latino & vulgari faciat publicari.

## III.

In alia etiam constitutione eiusdem legati, quæ incipit, *Cathedrales ecclesiæ*, statutum est ut in qualibet cathedrali vel collegiata ecclesia aliqui clerici ex \*beneficiis apti & docibiles, iudicio episcopi vel prælati & capituli, saltem unus ex decem de residētibus assumatur, qui ad studia generalia theologiæ & iuris canonici ac liberalium artium accedere compellatur. *Quia nonnulli in executione huiusmodi constitutionis sunt remissi*; volentes eorum negligentiam iuris executione suppleri, sacro approbante Conclilio statuimus, vt si infra sex mensium spatum, iuxta constitutionem ipsam ad studia literarum mittere distulerint, extunc ea vice potestas eligendi & mittendi ad nos & successores nostros totaliter deuoluatur, consuetudinis vel statuti illius ecclesiæ obstatuculo non obstante. IV.

Cum vero in cōstitutione domini Ioannis quondam archiepiscopi Toletani prædecessoris nostri, quæ incipit, *Episcoporum negligentiæ*, contineatur, quod episcopi in casu, in quo fuerint legitime impediti, & cathedralium ecclesiarum capitula mittant ad Concilium procuratores idoneos de statu pro-

ANNO CHRISTI  
1339. priarum ecclesiarum & diœcesum informatos , statuimus quod episcopi taliter impediti procuratores alios ab illis qui per eorum capitula fuerint constituti, mittere teneantur. Quod si secus actum fuerit, contra eos perinde procedatur, ac si neminem transmisissent.

V.

Cum nonnulli rectores ecclesiarum & eorum vicarii in obseruando constitutionem generalis Concilii , quæ incipit, *Omnis utriusque sexus, inueniantur hactenus negligentes plurimum & remissi;* ideoque vniuersis & singulis ecclesiarum rectoribus, eorum vicariis, sub pœna excommunicationis præcipiendo mandamus , quatenus dictam constitutionem diligenter obseruent , & nihilo minus quilibet eorum in sua parochia nomina suorum parochianorum , qui ad annos discretionis peruererint , annuatim in scriptis redigant : & illos qui sibi vel alteri potestatem habenti , de quo constet ei, confessi fuerint, consignet , eosque ad recipientum eucharistiam excitet. Quod si eam non receperint , nisi de consilio proprii sacerdotis abstineant : nec non & reliqui non confessi post lapsum anni ab ecclesia, donec confessi fuerint, expellantur , & si sic decesserint, ecclesiastica careant sepultura.

Datum in ecclesia Toletana xiv. Kalendas Iunii anno Domini millesimo trecentesimo trigesimo nono , indictione septima, pontificatus sancti patris & domini nostri, domini Benedicti diuina prouidentia papæ XII. anno v. quo dictum Concilium extitit terminatum, sub sigilli nostri appensione, præsentibus Blasio Eximini archidiacono

Q. iii

## 126 CLEMENTIS PAPÆ VI.

de Talauera, & Gonsaluo Roderici thesaurario, & Io-  
anne Martini canonico ecclesiae Toletanae, testibus ad  
præmissa vocatis specialiter & rogatis.

ANNO  
CHRISTI  
1339.

Et ego Martinus Nuncai portionarius in ecclesia To-  
letana, publicus in ciuitate & dioecesi Toletana archie-  
piscopali auctoritate notarius, dictarum constitutionum  
publicationi & aliis omnibus & singulis supradictis vna-  
cum dictis testibus rogatus præfens fui, easque de manda-  
to prædicti Concilii publicauit, meoque sigillo signauit.



VITA ET EPISTOLA  
CLEMENTIS PAPÆ VI.

ANNO  
CHRISTI  
1341.

**C**LEMENS VI. Lemouicensis, Petrus antea vocatus,  
ex monastica vita assumptus archiepiscopus Rotho-  
magensis, vir doctissimus & eloquentissimus. Post Bene-  
dictum vndecimum pontifex electus est Auenione anno  
Dominii 1342. ipsis Nonis Maii, decimo quarto Calendas  
Iunii coronatus, post sequentibus quatuor temporibus de-  
cem cardinales creauit: anno vero euoluto duos alios or-  
dinavit, inter quos duo erant eius nepotes, tertius frater  
germanus, quartus ei affinitate coniunctus. A Romanis  
rogatus, iubileum quod centum annorum spatio consti-  
tutum erat, ad quinquaginta reuocauit. Mandauit, ait  
Trithemius in chronicō Hirsaugensi anno 1346. principi-  
bus, ut infra certum terminum quem iis præfixerat, nisi  
ius electionis velint amittere, in locum Ludouici (iam  
ante ob raptum alienæ vxoris per sententiā depositi) alium  
eligant imperatorem, qui mandatis ecclesiae, ut filium de-  
cet, pareat: alioquin se necessario curam ut supremum ca-  
put de imperio habiturū. Conuenientes itaque in Reynis  
infra Bopardiam iuxta Rhenum, vndecimo die mensis  
Iulii, Baldeuinus archiepiscopus Treuirensis, Vvalramus  
archiepiscopus Colonensis, Gerlacus cui papa de Mo-  
guntina ecclesia prouiderat, Ioannes rex Bohemiæ, &  
dux Saxoniæ, Carolum Ioannis supradicti Bohemiæ regis  
primogenitum in regem Romanorum vnanimiter præ-  
sentem elegerunt, & Bonnæ per Colonensem inunxe-  
runt. Carolus rex memor accepti beneficij, Nicolaum